

**ACTA TRIBUNALIUM SANCTAE SEDIS
ROMANAE ROTAE TRIBUNAL**

**Decretum turni diei 8 februarii 2018
coram R.P.D. Gregorio Erlebach, Ponente
Romana**

Nullitatis matrimonii

**Prael.: iuris appellandi et admissionis appellationis/
confirmationis sententiae**

B. 13/2018

Infrascripti Patres Auditores de Turno, die 8 februarii 2018 in sede huius Apostolici Tribunalis legitime coadunati, ad quaestionem praeliminarem definiendam *de iure appellandi et, quatenus affirmative, de admissione appellationis vel de confirmatione sententiae*, hoc tulerunt decretum.

1. – **Facti species.** – Libello litis introductorio diei 11 februarii 2014 Titius, hac in causa actor, ope sui Patroni fiduciae, nullitatis impugnavit apud Tribunal Reg. Latii suum matrimonium, celebratum die 1 septembris 2002 cum Caia, hac in causa conventa, ob capita defectus discretionis iudicii ex parte viri et incapacitatis assumendi ex parte mulieris. Conventa, rite in ius vocata, propriam sibi constituit Patronam fiduciae. Die vero 4 aprilis 2014 statutum est, in sede sessionis contestationis litis, iudicii obiectum ad mentem petitionis actoreae.

Peracta iam ampla phasi instructoria, Patronus viri actoris institit die 10 novembris 2015 ut amplior statueretur dubii formula, vertens nempe etiam circa caput defectus discretionis

iudicii ex parte mulieris conventae. Patrona autem Conventae sese opposuit et exquisivit ut admitteretur quoque caput incapacitatis assumendi ex parte viri actoris. Praeses collegii iudicantis, audito interea vinculi Defensore, annuit utrique instantiae quod attinet ad nova capita et his in verbis statuit die 27 ianuarii 2016 novum iudicii obiectum: «An constet de nullitate matrimonii, in casu, ex capite defectus matrimonialis consensus ob gravem carentiam discretionis iudicii circa iura et officia matrimonialia essentialia mutuo tradenda ac acceptanda ab utraque parte et/vel ob incapacitatem, propter causas naturae psychicae, obligationes matrimonii essentialia assumendi ab utraque parte».

Peractis peragendis, aditum Tribunal tulit die 20 decembris 2016 sententiam definitivam pro matrimonii nullitate dumtaxat ob incapacitatem assumendi essentialia matrimonii obligationes ex parte viri. Exemplar huius sententiae notificatum est Patrono viri actoris die 24 martii 2017, Patronae autem mulieris conventae die 23 martii 2017.

Die 3 aprilis 2017 Patronus Actoris interposuit appellationem ad Rotam Romanam adversus dictam sententiam: «**INTERPONE** appello alla Rota Romana contro la sentenza **AFFERMATIVA**, **soltanto** per il capo del consenso matrimoniale per incapacità, per cause di natura psichica, di assumere i doveri essenziali del matrimonio da parte dell'uomo; è fatto divieto alla stessa parte di passare ad altre nozze, senza l'autorizzazione del Tribunale sentito il parere di un Perito. **NEGATIVA** per grave carenza di discrezione di giudizio circa i diritti e i doveri matrimoniali essenziali da dare e accettare reciprocamente da entrambe le parti e per incapacità per cause di natura psichica di assumere i doveri essenziali del matrimonio da parte della donna» (graphia est originalis). Non est omnino clarum, an haec appellatio interposita sit adversus omnia sententiae capita et vetitum, certum est tamem quod emphasis facta est relate ad caput affirmative definitum.

2. – Actis itaque receptis, Exc.mus Rotae Romanae Pro Decanus designavit die 6 iulii 2017 Turnum iudicantem.

Firma manente necessitate acclarandi, si et quatenus, utrum Actor appellationem interposuisset etiam circa capita pro vinculo definita, an non, infrascriptus Ponens statim instituit duplicem quaestionem, solvendam in phasi praeliminari, nempe «1) *An detur ius Actoris appellandi adversus sententiam primi iudicii gradus pro nullitate latam et, quatenus affirmative, 2) Utrum admittenda sit appellatio adversus praefatam sententiam quod attinet ad caput pro matrimonii nullitate definitum, an confirmanda sit sententia primi iudicii gradus relate ad idem caput*». Eodem decreto diei 7 iulii 2017 concessa est viro actori facultas constituendi sibi Patronum fiduciae intra mensem vel expetendi designationem Patroni ex officio; similis facultas oblata est etiam mulieri conventae. Viro actori intimatum est dictum decretum die 10 augusti 2017, uti constat ex syngrapha receptionis.

Mulier conventa renovavit mandatum fiduciae pro sua Patrona, quam habuit iam in prima instantia. Actor tamen altum tenuit silentium, qua re die 10 novembris 2017 Ponens decrevit mulierem conventam habendam esse uti partem conventam diligentiolem. Obtentis interea Memorialibus Patronae mulieris conventae diligentioris, vinculi Defensoris et iustitiae Promotoris ad casum designati, Nostrum est hodie respondere ad quaestiones modo statutas.

DE IURE APPELLANDI

3. – **In iure.** – Viventibus coniugibus, pars actrix in causa nullitatis matrimonii est illa quae petit declarationem nullitatis proprii matrimonii ex determinato capite nullitatis. Statuto iudicii obiecto, ad partem actricem spectat inter alia onus probandi, illa pollet facultate expetendi admissionem aliorum capitum nullitatis uti etiam facultate renuntiandi quibusdam capitibus a tribunali admissis, immo, renuntiandi causae. Qualificatio partis actricis numquam mutat decursu

procesus, saltem quod attinet ad aspectum formalem istius denominationis.

In causis nullitatis matrimonii pars conventa non est illa a qua petitur — agitur enim de processu declaratorio facti iuridici —, sed alter coniux. Pars conventa assumere potest varias positiones processuales (cf. art. 134 *DC*), valde tamen expedit ut active se gerat in processu (cf. art. 95 §1 *DC*) et sincere conspiret ad veritatem obiectivam detegendam (cf. art. 65 §2 *DC*).

Coniuges, de quorum nullitate matrimonii fit causa, sunt partes privatae; vinculi autem defensor absolvit functionem partis conventae publicae.

4. — In casu renuntiationis causae — et in causis nullitatis matrimonii eundem effectum habet renuntiatio instantiae litis —, vel causae desertionis a parte actrice, audienda est pars conventa, nisi aliunde constet de eius voluntate obtinendi declarationem nullitatis matrimonii, quae pars — si sibi sumit onus actionis —, devenit *pars conventa diligentior*. Haec ultima fit substantialiter pars actrix, etsi initialis pars actrix manet uti talis sensu formali.

Notetur tamen quod qualificatio partis conventae diligentioris dari nequit, si eadem certat pro vinculo et petit ut emittatur sententia declarans non constare de nullitate matrimonii in casu.

5. — Magis implexae sunt vices processuales, si pars actrix introducit causam nullitatis matrimonii ex capite A, dum pars conventa, occasione primae citationis vel et serius, petit ut dicta nullitas declaretur ex capite B. Admisso utroque capite, duae revera dantur actiones attento quod caput nullitatis matrimonii, habendum uti causa petendi (cf. cann. 1639 §1 et 1680 §4 loco praecedentis can. 1683 CIC 1983), est elementum determinans causae nullitatis matrimonii (de relatione inter caput nullitatis et causam petendi his in processibus cf. G. Erlebach, «Il “capo di nullità” secondo la

giurisprudenza della Rota Romana», *Quaderni dello Studio Rotale* 19 [2009] 146-153). Hae duae actiones una simul aguntur, in eodem processu, ratione connexionis causarum.

Quod attinet tamen ad determinationem partium privatarum in proposita heic facti specie duorum capitum nullitatis, quod attinet ad caput B, initialis pars actrix manet talis sub aspectu formali, et assumere potest varias positiones processuales adversus hoc caput usque ad assumptionem positionis partis actricis resistentis, sed initialis pars conventa habenda est uti pars actrix sensu substantiali. Qua re, ad eam spectat onus probandi et solummodo ea potest huic capiti renuntiare.

6. – In nova lege processuali, reformata a Papa Francisco ope Litt. ap. m.p. datarum *Mitis Iudex Dominus Iesus* diei 15 augusti 2015, una ex parte statuitur «non amplius requiri duplicem decisionem conformem pro matrimonii nullitate ut partes ad novas canonicas nuptias admittantur» (Criterium fundamentale I, *AAS* 107 [2015] 959), altera tamen ex parte firmum manet ius appellandi sive ad tribunal appellationis loci sive ad Sedem Apostolicam (cf. Criteria fundamentalia V et VII, *ibid.*, 960-961), qua re «[s]ententia, quae matrimonii nullitatem primum declaravit, elapsis terminis a cann. 1630-1633 ordinatis, fit exsecutiva» (can. 1679).

Sententia, quae matrimonii nullitatem primum declaravit, non est intrinsece exsecutiva, sed talis fit solummodo inutiliter elapsis terminis statutis ad appellandum et ad prosecutionem appellationis, uti constat ex ipso textu can. 1679. Ne ergo umbra maneat dubii circa ius appellandi, novus can. 1680 §1 expressis verbis statuit hoc ius integrum manere parti, quae se gravatam putet, itemque promotori iustitiae (si egit in veste partis actricis) et defensori vinculi. Saltem ex contextu constat quod in can. 1680 §1 subintelligendum est ius appellandi solummodo adversus sententiam, quae matrimonii nullitatem *primum* declaravit

(cf. G.P. Montini, «Dopo la decisione giudiziale: appello e altre impugnazioni», in Redazione di Quaderni di diritto ecclesiale, ed., *La riforma dei processi matrimoniali di Papa Francesco*, Milano 2016, 114; G. Erlebach, «Appello in quanto impugnativa dopo l'entrata in vigore del Motu proprio *Mitis Iudex Dominus Iesus*», in *Studi in onore di Carlo Gullo*, III, Annales IV, LEV, Città del Vaticano 2017, 663-666), ergo tali in casu obtinet applicatio directa et integra canonum 1628-1638 ad mentem can. 1680 §1; in casu vero sententiae pro vinculo latae, applicatio cann. 1628-1638 est indirecta et mediata ergo can. 1691 §3.

7. – Cautè procedendum est in aestimatione gravaminis, de quo in can. 1628, quia gravamen ex natura sua est quid subiectivum, uti ulterius ostendit verbum «putare» in eodem canone adhibitum. Gravamen scaturit plerumque ex sententia contra propriam positionem processualem lata, sed excludi nequit s.d. gravamen spirituale seu conscientiae (cf. M.J. Arroba Conde, *Diritto processuale canonico*, Roma 2006⁶, 559; F.J. Ramos – P. Skonieczny, *Diritto processuale canonico*, 2/2, Angelicum Univ. Press, Romae 2014³, 209). Ratione gravaminis pars recurrit ad tribunal superius ut sententia reformetur. In processu contentioso ordinario sententia admittit quoque reformationem partialem seu correctionem, in causis autem nullitatis matrimonii finis appellationis est sic et simpliciter reformatio sententiae.

Obiectum directum appellationis est nonnisi pars dispositiva sententiae, sed ratio istius impugnationis oriri potest ex gravamine proveniente ex motivis in quibus nititur pars dispositiva. Quidquid est tamen de fonte gravaminis, qui appellat in causa nullitatis matrimonii, petere debet reformationem sententiae sibi invisae, secus appellatio non esset admittenda ob defectum apti obiecti. Non admittitur, vero, appellatio contra solas rationes in quibus nititur pars dispositiva sententiae vel adversus vetitum novas contrahendi nuptias.

8.—Ius appellandi non aufertur in causis nullitatis matrimonii in casu conflictionis inter appellationem et petitum, in specie si actor appellationem interponit adversus sententiam quae declaravit matrimonii nullitatem. Hoc ultimum fieri potest non solum in casu appellationis ratione gravaminis spiritualis seu conscientiae, sed etiam in casu in quo pars actrix est talis solummodo formaliter, dum caput appellatum introductum est a parte conventa vel ab ipso iudice formulatum est in decreto concordationis dubii super factis a partibus relatis.

Suprema lex, etiam his in causis, est salus animarum, quae tamen perseguenda est in ambitu processus iudicialis non nisi adhibitis instrumentis a lege statutis vel permissis. Magni tenenda est libertas personae humanae, qua re si actor maioris momenti habeat oppositionem initialem vel successivam contra declarationem nullitatis sui matrimonii ex quodam capite sibi invisio et, evidenter, a seipso formaliter non introducto, negari ei nequit ius appellandi adversus sententiam quam non probat et ex hoc capite prolatam.

7. – **In factu.** – Quidquid est de possibili appellatione viri actoris adversus sententiam in primo iudicii gradu pro vinculo latam, hac in phasi praeliminari ponitur quaestio iuris appellandi Actoris adversus sententiam pro matrimonii nullitate emissam ex capite incapacitatis eiusdem viri assumendi essentiales matrimonii obligationes.

Intra tempus ad appellandum in can. 1630 §1 statutum, Patronus viri actoris, audito ipso Actore, interposuit die 3 aprilis 2017 appellationem ad Rotam Romanam ex dicto capite sequentibus adductis rationibus: «*audito viro actore*, il quale ha ravvisato nel dispositivo della sentenza un linciaggio morale della sua persona, falsamente descritta nella Fattispecie, come infedele e violenta [...] più che un giudizio di nullità per incapacità, nonché la non liceità (come mezzi di prova in un processo canonico) dei documenti civili inerenti la questione della genitorialità prodotti dalla Convenuta, descritti in sentenza [...] come “documentazione

inerente vari interventi tecnici in sede civile *successivi alla separazione definitiva*”» (graphia est originalis).

Cum agatur heic de appellatione rationibus ornata, ista habenda est etiam uti prosecutio appellationis. Nulla ergo difficultas circa defectum separatae prosecutionis appellationis.

Similiter nulla ponitur quaestio relate ad factum quod Actor nihil egit hac in phasi praeliminari apud Rotam Romanam. Ille enim rite edoctus erat de iure patronum sibi constituendi vel gratuitum patrocinium expetendi. Constitutio patroni sese refert hoc in casu non solum ad facultatem novum eligendi patronum fiduciae, sed et prosequendi causam ope Patroni iam constituti collato mandato, valido etiam pro Rota. Huiusmodi prosecutio fit perficiendo depositum initiale in archa Tribunalis, quod tamen non est peractum. Ceterum, Patronus qui adstitit Actori in primo iudicii gradu, Adv. S., est Advocatus Rotalis et iam in exordio processus in prima instantia recepit mandatum fiduciae etiam «per gli ulteriori eventuali gradi di giudizio dinanzi al Tribunale Apostolico della Rota Romana». Cum ergo Actor non egerit apud Rotam Romanam ope sui legitimi Patroni, per quem appellationem interposuit, et nullam ad rem adduxerit explicationem, nec expetiverit designationem patroni ex officio, hoc factum habendum est uti inertia viri actoris. Excludi nequit eius intentio obstructionistica (cf. Memoriale P.I. ad casum deputati), eo quod agitur de sententia ei invisita, lata ex capite introducto a muliere conventa, sed nihil amplius est de re dicendum, attento quod *de intimis non iudicat praetor*, uti olim dicebatur.

Huiusmodi inertia Actoris haberi nequit uti tacita causae renuntiatio quia caput incapacitatis assumendi essentielles matrimonii obligationes ex parte viri introductum est non a viro actore, sed a muliere conventa, ergo quod attinet ad hoc caput, Conventa habenda est materialiter uti pars actrix, interea uti pars conventa diligentior a Ponente declarata, dum Actor virtute suae appellationis habendus est uti pars actrix

resistens qua re non potuit renuntiare causae ex hoc capite nullitatis.

8.—Rati princeps gravaminis viri actoris eruitur ex primo argumento allato in actu appellationis, nempe ex eiusdem viri aestimatione impugnata sententiam constituere «nel dispositivo della sentenza un linciaggio morale della sua persona, falsamente descritta nella Fattispecie come infedele e violenta (p. 3; p. 13; p. 16)». Constructio istius argumenti tamen artificium sapit quia Patronus sese refert ad «un linciaggio morale» in parte dispositiva sententiae, sed de facto invocat facti speciem sententiae appellatae et eius partem in facto. Hoc ergo duplici sensu intelligi potest: *a*) uti oppositio adversus declaratam incapacitatem viri actoris assumendi essentialis matrimonii obligationes in seipso consideratam, vel potius *b*) uti oppositio adversus declaratam viri actoris incapacitatem assumendi ratione restitutionis factorum in facti specie sententiae peractae et eorum aestimationem in parte in facto, graviter molestam iuxta virum actorem. Si prae oculis teneamus dicta in parte in iure huius decreti (cf. supra, n. 7), in utraque hypothesi admitti potest existentia gravaminis in Actore.

Cum ergo vir agat relate ad sententiam, emissam pro matrimonii nullitate ex capite propriae incapacitatis assumendi, utpote materialiter pars conventa (vel pressius utpote pars actrix resistens), quia hoc caput introductum fuit a muliere, et appellatio interposita fuit intra tempus, constat ergo de iure appellandi ex parte viri.

9. — Cl. ma Patrona mulieris conventae diligentioris sese opponit agnitioni iuris appellandi viri actoris et duo ad rem adducit argumenta.

Primum habet naturam principii ita enuntiati: «Quando sententia lata est pro matrimonii nullitate, pars quae pro nullitate coniugii contendit, sensu stricto et proprio, ab illa sententia gravata haberi nequit» (Memoriale pro P.C. dilig.).

Ast hoc non valet, si sententia lata sit pro nullitate ex capite ab altera parte introducto.

Alterum argumentum, a Cl.ma Patrona allatum, gressum sumit ex aspectu dinamico processus. En eius verba: «Verum est nullitatem matrimonii in casu declaratam esse ob caput a Conventa introductum, tamen ipse vir, notificatione instantiae Infrascriptae recepta et habitis decem diebus pro observationibus [...], nullam exceptionem vel contestationem fecit neque recursum adversus novum decretum concordationis dubii proposuit dum hodie appellationem interponit contra seipsum agendo». Haec omnia sunt vera, sed non constituunt argumentum decretorium. Oppositio enim etiam serius fieri potest, uti Nostro in casu, in sede appellationis adversus sententiam definitivam ex capite incapacitatis assumendi ex parte viri. Sub specie consecutionis petiti, Actor, hanc appellationem interponendo, egit revera contra seipsum, sed huiusmodi impugnatio sententiae pertinet ad sphaeram sui iuris libere exercendi (cf. supra, n. 8). Ceterum Actor pollebat defensione technica ex parte optimi Patroni Rotalis, ergo si proprio utitur iure, nulla fit ei iniuria.

10. – Navus vinculi Tutor alio ex angulo contendit Actorem non pati gravamen spirituale vel conscientiae in ordine ad appellationem interponendam «cum ipse iniustitiam eiusdem sententiae adscribit ipsis Iudicibus, qui sententiam tulerunt, potius quam suae fallaciae vel mendacio in processu patrato» (Memoriale D.V.). Utique, optima est haec animadversio, et ab Infrascriptis probatur, sed quaestio est alia. Attento quod relate ad caput incapacitatis viri assumendi essentielles matrimonii obligationes, idem vir egit in appellatione uti materialiter pars conventa seu pressius pars actrix resistens, ad valide appellandum eius ex parte non requiritur gravamen spirituale, sed sufficit quodlibet gravamen iure agnitum.

Etiam Promotor iustitiae ad casum deputatus censeat non dari, in casu, ius Actoris appellandi adversus sententiam

primi iudicii gradus pro matrimonii nullitate latam. Ad rem, post disceptationem de instituto appellationis, unam solam adduxit substantialiter rationem in facto, nempe factum quod Actor egit contra propriam utilitatem commodumque (Memoriale P.I. deputati). Obiective est fortasse ita, praesertim sub specie communiter intellectae salutis animarum, cui declarata matrimonii nullitas hoc in casu optime suppeditare videretur, sed, uti diximus in parte in iure (cf. supra, n. 6), nemo vetare potest christifideli usum facultatis processualis qua pollet, etsi hoc obiective aestimari possit contra suum bonum vel commodum. Evidenter, pro viro actore magis valet, hoc in casu, defensio propriae imaginis vel a seipso perceptae dignitatis personalis et ita porro, quam consecutio executivitatis invisae sibi sententiae, etsi cohaerentis cum initiali petito viri.

DE ADMISSIONE APPELLATIONIS VEL DE CONFIRMATIONE SENTENTIAE

11. – **In iure.** – In casu appellationis adversus sententiam quae matrimonii nullitatem primum declaravit, non est statim procedendum in processu ordinario alterius iudicii gradus, sed in via praeliminari videndum est de qualitate appellationis. Si appellatio enim «mere dilatoria evidenter appareat, tribunal collegiale, suo decreto, sententiam prioris instantiae confirmet» (can. 1680 §2), secus procedat in gradu appellationis. Fulcrum disceptationis hac in phasi praeliminari respicit ergo quaestionem utrum evidenter constet appellationem esse mere dilatoriam, an non.

Omnis appellatio est ex se dilatoria eo quod protrahit consecutionem rei iudicatae vel, in causis nullitatis matrimonii, quasi iudicatae seu iudicati formalis. Quando autem appellatio est *mere* dilatoria?

Directe nihil interest intentio subiectiva appellantis et alia ex parte non ponitur quaestio de minore vel maiore pondere gravaminis, dummodo aliquod gravamen detur et ad rem sufficit persuasio appellantis de iniustitia sententiae prolatae, nec directe quid efficit firmitas sententiae

(non aequivocanda cum firmitate rei iudicatae vel quasi iudicatae) attento quod locutio «appellatio mere dilatoria» sese refert ad qualitatem ipsius appellationis. Perspicendus est potius finis eiusdem impugnationis, nempe reformatio sententiae. Hoc sub respectu appellatio censenda est uti mere dilatoria si deficiat quaelibet ratio, quae probabilem redderet reformationem sententiae appellatae.

Rationes pro sententia reformanda depromi tamen possunt non solum ex verbis ipsius appellantis, potissime in prosecutione appellationis promptis, sed etiam ex argumentis allatis in animadversionibus vinculi defensoris si appellatio interposita sit a parte conventa — quae omnia, una simul cum observationibus partis actricis si quae sint, videnda sunt utcumque sub luce omnium causae actorum. Insuper requiritur autonomum examen tabularum processualium a collegio iudicante factum, ad videndum nempe utrum detur annon cohaerentia intrinseca et extrinseca sententiae impugnatae. Prior sese refert ad iter logicum ipsius sententiae, scilicet ad quaesitum an eius pars dispositiva congrue nitatur in expositis principiis iuris et in parte in facto eiusdem sententiae. Cohaerentia autem extrinseca respicit relationem inter tabulas processuales, sententiam praecedentes, et ipsam sententiam appellatam, potissime eius partem in facto, ad videndum nempe an facta rite sint in ea restituta vel quaedam maioris momenti sint praetermissa, quae ad contrariam ducerent conclusionem.

Evidentia rerum de qua in can. 1680 §2 (cf. «evidenter appareat») non impedit examen complexivum tabularum processualium sub luce animadversionum vinculi tutoris et observationum partium, dummodo non excedantur limites phasis praeliminaris processus in altero iudicii gradu, in quo una ex parte datur solummodo contradictorium initiale et alia ex parte aestimatio ex parte iudicum nequit assurgere ad integram aestimationem de merito causae, propriam sententiae definitivae.

Si ex ita peracto examine constat appellationem esse mere dilatoriam, scilicet si non datur quaelibet ratio, quae proba-

bilem redderet reformationem sententiae appellatae, iudices tribunalis appellationis consequuntur eo ipso certitudinem moralem, fundatam esse declaratam in praecedenti iudicii gradu matrimonii nullitatem, quam ob rem confirmandam esse sententiam appellatam virtute certitudinis moralis obtentae in phasi praeliminari appellationis gradus. Aliter res se habent, si ex ita intellecto examine complexivo fundamenti appellationis non constaret appellationem manifeste mere dilatoriam esse, aliis verbis si non esset excludendum aliquod fundatum vel rationabile dubium (cf. Allocutionem Pii XII ad Rotam Romanam diei 1 octobris 1942, *AAS* 34 [1942] 339) circa declaratam matrimonii nullitatem, quam ob rem probabilis esset sententiae reformatio; ergo tali in casu appellatio esset admittenda.

12. – **In factu.** – Videamus in primis de appellatione ex parte viri actoris, qui habendus heic est uti pars actrix resistens.

Quod attinet ad ambitum huius quaestionis praeliminaris, Actor ope sui Patroni interposuit appellationem adversus sententiam affirmativam, prolatam in primo iudicii gradu, sustinendo uti sequitur: «ha ravvisato nel dispositivo della sentenza un linciaggio morale della sua persona». Ast nihil abnorme invenimus in parte dispositiva illius sententiae, quae ita sonat: «Affirmative, seu constare de nullitate matrimonii, in casu, tantum ex capite defectus matrimonialis consensus ob incapacitatem, propter causas naturae psychicae, obligationes matrimonii essentialia assumendi ex parte viri; vetito eidem transitu ad alias nuptias, hoc Tribunali inconsulto et audito Perito». Ipsa declaratio incapacitatis obligationes matrimonii essentialia assumendi, vel adnexum vetitum contrahendi novas nuptias, cuius remotio fieri possit solummodo consulto Tribunali et audito perito, nullimode constituit «un linciaggio morale» nec est motivum aptum pro reformatione sententiae!

Punctum tamen, revera dolens pro viro actore, est — uti videtur — sequens ratio, pansa in praefato scripto appellatorio: «linciaggio morale della sua persona, falsamente descritta

nella Fattispecie, come infedele e violenta (p. 3; p. 13; p. 16) più che un giudizio di nullità per incapacità». Videamus ergo illa sententiae loca.

In facti specie, p. 3, invenitur solummodo sequens mentio infidelitatis viri: «Per iniziativa di Caia, le parti pervennero alla separazione definitiva di fatto dopo che l'odierna convenuta ebbe constatato l'infedeltà coniugale del marito, non sopportando ulteriormente i soprusi agiti da quest'ultimo ai danni di lei». Conventa revera declaravit suo in vadimonio hanc fuisse causam, ob quam instituit separationem definitivam, quam et Iudices appellati uti veram acceperunt ob rationes de quibus infra.

In p. 13 sententiae primi gradus nihil invenitur quod suppeditare potuisset praefatam affirmationem, factam in actu appellationis; ceterum in illa parte sententiae actum est de capitibus relatis ad mulierem conventam.

In p. 16 eiusdem sententiae dictum est in primis uti sequitur: «Stando ai comportamenti agiti da Tizio, si riscontrano [...] una crescente insofferenza di lui con attacchi verso la moglie che sfociano, a dire della convenuta e di diversi testimoni con dovizia di circostanze, in maltrattamenti». Haec affirmatio est tamen aptis argumentis sustentata. Iudices indicaverunt enim fontes testimoniales, denique dederunt rationes ob quas non admiserunt contrariam declarationem viri actoris qui «[ha] nega[to] le violenze e i maltrattamenti di cui lo accusa la Caia», nempe sese rettulerunt ad denuntiationem-querelam a Conventa factam contra Actorem, quae denuntiatio «trova seguito nelle valutazioni in sede civile». Duplex ergo est fons probatorius illius affirmationis: canonicus (per declarationem iudicalem Conventae et diversorum testium) et civilis.

In prosecutione sententiae, Iudices sibi posuerunt quaestionem relationis extraconiugalis Actoris, sustentatae a muliere conventa, sed prius omissae in declaratis a viro actore in eius vadimonio, aegre tandem admissae in sede novae depositionis, sed inceptae — iuxta virum actorem — solummodo mense novembri a. 2012. Tribunal autem

primi iudicii gradus fidem dedit Conventae, nisum in declaratione testis ipsius Actoris et facto quod «la CTU D. del novembre 2011 fa menzione» de amasia Actoris. Ex his omnibus conclusio princeps non fuit ipsa fractio fidelitatis ex parte Actoris, etsi agatur de violatione unius ex obligationibus matrimonialibus essentialibus, sed de alio consecratario in oeconomia sententiae, nempe de constabilito defectu credibilitatis ex parte viri actoris.

Ergo oppugnatae a viro actore affirmationes sunt sufficienter probatae et non sunt habendae uti falsae vel erratae.

13. – Si bene intelligamus tenorem appellationis, vir contendit quod affirmationes de assumptione, decursu vitae communis, violenti modi agendi eius ex parte erga Conventam necnon de relatione extraconiugali instituta sub fine convictus, non pertinent ad ambitum causae prae manibus (cf. «ha ravvisato nel dispositivo della sentenza un linciaggio morale della sua persona [...] più che un giudizio di nullità per incapacità»).

Ast non est ita. Modus agendi, non componibilis cum obligationibus sibi in celebratione matrimonii sumptis, certo certius pertinet ad ambitum iudicii vertentis super caput incapacitatis assumendi essentielles matrimonii obligationes. De hoc nulla fieri potest quaestio.

14. – Patronus partis actricis aliam adduxit etiam rationem appellationis, nempe «la non liceità (come mezzi di prova in un processo canonico) dei documenti civili inerenti [al] la questione della genitorialità prodotti dalla Convenuta, descritti in sentenza come “documentazione inerente [a] vari interventi tecnici in sede civile **successivi alla separazione definitiva**”» (graphia est originalis).

Haec obiectio nullius est tamen momenti. In can. 1539 statutum est enim principium probationem per documenta, tum publica — intra quae recensentur etiam illa civilia (cf. can.

1540 §2) — tum privata, esse licitam. Ex emphasi locutionis «successivi alla separazione definitiva», Patronus fortasse insinuat eorum illiciteam utpote respicientia facta post rupturam matrimonii obventa; ast huiusmodi argumentatio esset omnino speciosa. Ad summum quis dubitare potuisset de valore probatorio horum documentorum pro sententia ferenda — quod tamen aptis argumentis ostendere debuisset —, sed negari nequit eorum liceitas utpote mediorum probatoriorum.

Ergo neque ex hoc angulo admitti possunt obiectiones Patroni viri actoris et multo minus scatet aliquod argumentum in favorem reformationis sententiae impugnatae.

15. — Nava Patrona mulieris conventae diligentioris examini subiecit ante omnia quaestionem liceitatis vel minus documentorum civilium. Optimis rationibus sive in iure sive in facto allatis, pervenit ad conclusionem quod in causa prae manibus «clara apparet liceitas et utilitas documentorum a Conventa exhibitorum, insuper etiam Actor, una cum libello, documenta civilia exhibuit» (Memoriale pro P.C.).

16. — R.D. vinculi Defensor crisi subiecit praesertim peritiam eo quod deficit determinatio gravitatis detectae anomaliae: «peritus, etsi de gravitate adsertae anomaliae psychicae in Actore tempore nuptiarum expresse quaesitus, gradum huius gravitatis in peritia non determinavit» (Memoriale D.V.).

Haec obiectio est evidenter vera eo quod re ipsa deficit formalis qualificatio gravitatis anomaliae Actoris ex parte Periti. Ast sine dubio non agebatur de anomalia levi. Iam sub fine partis initialis peritiae, in qua relata est anamnesis ab Actore facta, haec invenitur conclusio partialis: «Questa storia personale e matrimoniale evidenzia nel periziando importanti aspetti di immaturità affettiva e di difficoltà a “partecipare nella relazione” in modo stabile e adulto». Quaedam difficultas determinationis gravitatis intrinsecae

illius anomaliae (cf. art. 209 §1 *DC*) scaturit fortasse ex facto complexitatis condicionis psychicae in Actore tempore nuptiarum, quae comprehendebat varios aspectus immaturitatis affectivae et signa perturbationis personalitatis dependentis et narcissisticae. Iuxta Peritum, initio relationis praematrimonialis vir actor, qui compleverat undetriginta annos, sub aspectu psychologico «si trovava in uno stato in qualche modo corrispondente alla condizione di immaturità affettiva propria dei ragazzi impulsivi, un po' esaltati, ma ancora non autonomi» et — quod attinet ad gravitatem extrinsecam — iuxta eundem Peritum vir «non aveva una maturità affettiva adeguata per concepire la relazione tra lui e Caia in termini di reciprocità, scambio, ascolto e possibilità di mettersi in discussione».

Quod attinet ad ambitum adimpletionis onerum sibi sumptorum, Peritus — aliunde notus uti valde prudens, qui non dispensat iudicia sine valido fundamento — sine dubio censet quod Actor impar fuit ad has responsabilitates adimplendas: «l'immaturità emotiva del periziando [...] risalta chiaramente considerando gli accadimenti della vicenda relazionale e coniugale». Ergo Peritus se persuasum ostendit de gravitate extrinseca descriptae anomaliae (cf. art. 209 §2, n. 3 *DC*).

Ceterum, non est nimis sistendum in singulis qualificationibus peritalibus, cum peritia est solummodo unum ex mediis probationis et iudex causam solvere debet omnibus probationibus perpensis.

17. – Quod attinet ad examen ipsius sententiae, nihil est obiiciendum. Plene sunt probanda principia iuris ibi exposita. Pars in facto optime nititur in collectis mediis probatoriis. Per logicam viam appellati Iudices prius perspexerunt inadimpletionem onerum matrimonialium ex parte viri actoris relate ad bonum coniugum et bonum prolis, denique sub luce peritiae, habitae uti «valutazione idonea a conseguire una conoscenza tecnica di Tizio rispetto al suo grado di

assunzione delle obbligazioni matrimoniali», pervenerunt ad conclusionem quod ratione detectae anomaliae Actor «non disponeva delle caratteristiche idonee a farsi carico del bonum coniugum, come anche del bene della prole».

His prae habitis, logice scietur pars sententiae dispositiva quod attinet ad incapacitatem viri actoris sibi sumendi obligationes matrimonii essentiales. Nec quidquam invenitur in tabulis processualibus, quod non sit a Iudicibus perspectum et ad contrariam ducere possit sententiam.

Ergo neque ex hoc angulo colligi potest quaedam ratio sufficiens in favorem spei reformationis sententiae emissae pro matrimonii nullitate in primo iudicii gradu ex dicto capite nullitatis.

18. – Ob rationes iuris (cf. supra, n. 7) non ponitur quaestio appellationis adversus vetitum contrahendi novas nuptias, statutum in sententia primi iudicii gradus. Occasione tamen confirmationis sententiae ex parte H.A.T. videndum est utrumque de vetito.

Ad ius quod attinet, etiam hodie sequenda est ordinaria via indicata in art. 251 §1 DC, qua re «Si pars in processo [...] matrimonii incapax reperta fuerit incapacitate permanenti, vetitum sententiae apponatur quo, inconsulto ipso tribunali quod sententiam fert, a matrimonio novo ineundo prohibeatur».

Iuxta Peritum, pars anomaliae respicit partialem perturbationem personalitatis viri actoris et «si deve ritenere che esso [scil. l'evoluzione di tale quadro psichico], in quanto "struttura di personalità" tende a permanere stabilmente in lui». Et etsi una ex parte Peritus agnovit aliquam mutationem in melius decursu temporis («Le sofferte vicende matrimoniali, e la doppia paternità, hanno prodotto in lui una certa maturazione, anche se tutt'oggi si riscontrano tratti narcisistici e dipendenti»), tamen alia ex parte animadvertit: «Col passare degli anni, il periziando è divenuto sempre più autocentrato». Viri incapacitas assumendi ha-

benda est ergo uti permanens, nisi evidenter Actor contrarium probet relate ad novas nuptias fortasse celebrandas.

19. – Attento quod declaranda est confirmatio sententiae primi iudicii gradus, pro matrimonii nullitate emissae ex capite incapacitatis assumendi esentiales matrimonii obligationes ex parte viri, non ponitur amplius dubium utrum appellatio viri respiceret etiam capita pro vinculo definita, an non. Etsi appellatio facta esset etiam circa capita pro vinculo decisa, ne umbra quidem daretur sufficientis interesse iuridici Actoris pro causa ulterius ex his capitibus agenda, consecuta declaratione matrimonii nullitatis per decisionem exsecutivam.

20. – Quibus omnibus ergo attente perpensis, infra-scripti Auditores de Turno quaestionibus supra propositis respondendum censuerunt uti respondent:

AD I^{UM}: DATUR IUS APPELLANDI VIRI ACTORIS ADVERSUS SENTENTIAM PRIMI IUDICII GRADUS PRO MATRIMONII NULLITATE LATAM;

AD II^{UM}: NEGATIVE AD PRIMUM, AFFIRMATIVE AD ALTERUM, SEU CONFIRMANDAM ESSE SENTENTIAM PRIMI IUDICII GRADUS QUOD ATTINET AD DECLARATAM MATRIMONII NULLITATEM OB INCAPACITATEM ASSUMENDI ESSENTIALES MATRIMONII OBLIGATIONES EX PARTE VIRI ACTORIS, VETITO EIDEM TRANSITU AD ALIAS CANONICAS NUPTIAS INCONSULTO TRIBUNALI PRIMI IUDICII GRADUS.

Ita pronuntiamus atque committimus locorum Ordinariis et Tribunalium administris, ut hoc decretum notificent omnibus quibus de iure, et executioni tradant ad omnes iuris effectus.

Romae, in sede Romanae Rotae Tribunalis, die 8 februarii 2018.

Gregorius Erlebach, Ponens
Jair Ferreira Pena
Abdou Yaacoub

Sommario

Nel decreto Rotale *coram* Erlebach dell'8 febbraio 2018 emergono due questioni. Una riguarda il diritto di appello dell'attore contro una sentenza affermativa, emessa però su di un capo introdotto dalla parte convenuta. Nell'altra questione, relativa all'ammissione dell'appello, si evince un'interpretazione integrale della seconda parte del can. 1680 §2.

Parole-chiave: nullità del matrimonio; diritto d'appello; appello meramente dilatorio.

Summary

Two questions emerge from the Rotal decree *coram* Erlebach of 8 February 2018. One concerns the petitioner's right of appeal against an affirmative sentence, but issued on a ground of nullity introduced by the respondent. In the other question, concerning the admission of the appeal, there is an integral interpretation of the second part of can. 1680 §2.

Keywords: nullity of marriage; right of appeal; merely dilatory appeal.